

ac proinde omnis scientia periret. Et certe, secundum Kantium tota ratio, cur eidem obiecto plura phaenomena tribuantur, est unitas conscientiae nostrae, non eorum obiectiva in ipsa re coniunctio a me perspecta.¹⁾ Ergo categoriae illae prorsus sunt respuendae.

3. Quoad *ideas rationis*; Nam a) illae ideae Dei, mundi, sui ipsius vacuae vocantur. Atqui tunc non cognosci neque ab invicem distingui possent, praesertim cum sint noumena, ac proinde nullo modo rationem argumentantem dirigere possent, quae omnia sunt absurda. — Neque tres illas ideas in nobis a priori inesse ex diversis syllogismorum speciebus²⁾ probatur.

b) Conscientia testatur, illas ideas non esse a priori in nobis, sed a nobis formari et acquiri ex rerum cognitione. Porro si essent innatae, deberent esse in omnibus hominibus et quidem eodem modo in videntibus et caecis, neque possent esse increduli vel sceptici, quum eas illusionem ineluctabili nos afficere putet.

b) Neque valet argumentum, quo ideas illas a priori nobis inesse probat. Sic argumentatur: Finis ut terminus actionis, utpote eam dirigens, debet esse ante actionem. Atqui tres illae ideae sunt finis et terminus syllogismi vel categorici vel hypothetici vel disiunctivi eumque dirigunt. Ergo debent eum praecedere in mente ac proinde nobis a priori inesse. — Haec argumentatio si valerét, probaret, nos syllogismis nil evincere posse, quod non iam sciremus, si quidem conclusio, ut finis et terminus syllogismi, eum dirigere ac proinde praecedere deberet; vana igitur esset tota mathematica, physica, astronomia, quae deductionibus novas inveniunt veritates.³⁾ Unde patet, maiorem et minorem syllogismi distinguendas esse; quemadmodum enim finis seu terminus actionis ante ipsam non physice, sed logice solum existit, ita etiam conclusio ante syllogismum perfectum nondum existit ut veritas probata, sed probanda. Praecedit syllogismus apprehensio subiecti et praedicati conclusionis, non vero cognitio certa eorum identitatis. Ita etiam ideae Dei, mundi, animae spiritualis ante conclusionem neque certo neque perfecte cognoscuntur, quid sint in se et quid ipsis respondeat a parte rei. Ergo illae ideae non sunt in mente a priori.

IV. Terminus systematis repugnat:

1. Illud systema sibi repugnat, quod in fine se ipsum destruit. Atqui Kant doctrina sua in fine suum systema ipse destruit; nam docet: a) nullam

Handgriffe wir der Natur schwerlich jemals abraten und unverdeckt vor Augen legen werden.“ (l. c. p. 180 sq.; p. 103). Tribuit igitur phantasiae productivae munus categorias cum perceptione sensuum coniungendi, quod vocat „Schematismus der reinen Verstandesbegriffe“. Distinguit enim phantasiae empiricam, cuius sit, imagines sensibiles producere, et schematicam, quae schemata rerum mediantibus formis sensibilibus spatii et temporis a priori producit, quae formae categoriis intellectus sunt similes, siquidem a priori in nobis sunt et forma temporis in omni operatione immanenti supponitur (ed. 1791, p. 177).

¹⁾ „Verbindung liegt nicht in den Gegenständen . . . sondern ist eine Verrichtung des Verstandes, der . . . das Mannigfaltige gegebener Vorstellungen unter die Einheit der Apperzeption bringt.“ l. c. p. 734.

²⁾ Cfr. dial., p. 67. ³⁾ Cfr. thesim XIX, p. 203 sq.

rem in se cognosci posse, neque quidquam percipi, nisi in quantum elementum sensibile tanquam materiam cognitionis admixtum habeat. Atqui ut sensibilitas excitetur, requiritur res a nobis distincta (ein Ding an sich); deinde statuit categorias, formas, ideas; docet cognitionem nostram saltem formalem esse veram; distinguit inter sensibilitatem, intellectum, rationem, quae omnia sunt noumena, nullo elemento sensibili admixto. Ergo Kant in fine hanc suam doctrinam ipse destruit.

b) Docet res quasdem in se esse, i. e. existere, nosque afficere, nobisque apparere. Atqui haec cognitio non habetur nisi mediante categoria causalitatis et existentiae. Iam vero categoriae ex se sunt mere subiectivae, vacuae, neque quidquam obiectivi referre possunt. Ergo neque illa cognitio rei in se neque eius affectio, apparentia, immo existentia admittenda est. Unde Fichte, Schopenhauer, Frauenstaedt et alii, magis sibi consentientes, etiam „rem in se“ reiciunt, omniaque ex subiecto produci docent.

c) Statuit, nil cognosci posse nisi quod constet elemento sensibili. Atqui solae res materiales elemento sensibili constant; unde nil immateriale cognosci potest: neque Deus, neque spiritus, neque anima nostra, ita ut omnis religio, morum scientia, obligatio moralis fundamento privetur.

d) Denique omnes in se complectitur errores systematum, quae impugnat: *Dogmatismum* Wolfianum, quum multa a priori statuatur, quin probet: phaenomena, categorias, ideas, facultates cognoscendi etc. *Scepticismum* Humei, quum non explicet, an et quomodo formae illae nobis inditae rebus sint conformes; immo quum de existentia rerum prorsus dubitet.¹⁾ *Sensualismum* Lockei et aliorum, quum nil cognosci posse doceat, quod non constet elemento sensibili. *Idealismum* Berkeley, quum cognitionem nostram non nisi phaenomena, non res attingere doceat et possibile esse putet, rem in se nil esse a nobis distinctum²⁾; immo quum formas et categorias nil obiectivi representare doceat, causalitati, existentiae, spatio, tempori nil a parte rei necessario subesset; ac proinde nihil existit, et totum systema desinit in *Nihilismum*, quod iure meritoque E. v. Hartmann inde deducit.³⁾

V. *De vi indicativa*. (Kritik der Urteilkraft, 1790). Inter rationem theoreticam et practicam Kantius intermediam habet vim indicativam, cui tribuit munus, ut vel principia generalia ad particularia applicet, vel particularia sub lege generali subsumat; illam functionem vocat determinantem, hanc reflectentem. Reflectentis igitur est, leges naturae empiricas subsumere sub legibus generalibus, quae sunt foetus mentis nostrae. Ad hanc subsumptionem opus est principio regulativo, quod vocat *finem*. Finis igitur non est in ipsis rebus, sed a nobis in res ipsas quodammodo proicitur („in die Dinge hinein-

¹⁾ „Es ist völlig unbekannt, ob es (das Ding an sich) ausser uns oder in uns ist“ (Krit. d. r. Vern., p. 235). ²⁾ „Das Reale äusserer Erscheinungen ist wirklich nur in der Wahrnehmung und kann auf keine andere Weise wirklich sein.“ „Wenn ich das denkende Subjekt wegnehme, muss die ganze Körperwelt wegfallen, als die nichts ist, als die Erscheinung in der Sinnlichkeit unseres Subjekts und eine Art Vorstellungen desselben“ (Kritik d. r. Vern., p. 306); cfr. Überweg-Heinze, l. c. p. 321. ³⁾ „Der Wahnsinn des eine Welt scheinenden Nichts gähnt uns an.“ Cfr. T. Pesch, l. c. p. 100. Willmann, l. c. 438.

geschaut“). Finis autem distinguitur *subiectivus*, qui est congruentia formae rei cum facultate intuitiva (Anschauungsvermögen), et constituit *pulchrum*; *obiectivus*, qui est congruentia rei ipsius cum suo conceptu, quae congruentia si est externa, habetur utilitas, si est interna, habetur proprie finis intrinsecus, qui nonnisi in rebus organicis invenitur; unde vis iudicativa est vel aethetica vel teleologica. Quum finis sit obtinendus rerum activitate, quemadmodum nos bonum morale agendo producere debemus, vis iudicativa rationem theoreticam coniungit cum practica, regnum necessitatis naturalis cum mundo libertatis intellectualis.

Patet, hanc theoriam tum pulchri tum finalitatis esse reiciendam, quia pulchrum tanquam formam mere subiectivam cognitionis nostrae habet et phantasiae tribuit, non rationi de rei perfectione iudicanti; porro constat, fines non solummodo subiective adesse, sed in rebus ipsis independentem a nostra cognitione haberi tum intrinsece tum extrinsece.

De systemate morali Kantiano.

I. *Expositio*: Libro „Kritik der reinen Vernunft“ Kant praeter alia opera addidit 1788 librum sub titulo: „Kritik der praktischen Vernunft“, in quo theoriam suam moralem proponit, quam libro: Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, 1791, magis explicat. En eius summam:

1. Sicut in omni actu cognitionis elementum materiale et formale distinguitur, ita etiam in omni actu morali voluntatis duplex illud elementum invenitur: *materia*, quae est bonum aliquod appetendum sive malum fugiendum: *forma*, quae in omni actu voluntatis invenitur, est *obligatio ipsa*, non quidem particularis aliqua ratio, sub qua hoc vel illud bonum appetitur, sed omnino *universalis*, quae abstrahit ab omni elemento materiali (bono particulari).

2. Haec lex universalis agendi est: Age ita, ut ratio tua agendi possit fieri lex universalis agendi pro omnibus, et tu hoc rationabiliter desiderare possis e. g. reddendo depositum, non committendo suicidium. Quum vero forma obligationis abstrahat ab omni bono speciali, etiam tota ratio moraliter agendi est ipsa obligatio, quam sentimus, non bonum aliquod, ita ut lex propter se ipsam observetur. Omnis igitur moralitas interna consistit in reverentia illa et obedientia, quam legi mentis nostrae exhibemus.

3. Ex quo sequitur, hominem quoad legem moralem „autonomum“ esse, i. e. illam non aliunde accipere, sed sibi ipsi statuere ex fonte propriae rationis; quare peccaret, si motivis aliis obsequeretur, „si heteronomiam“ aliquam subiret. Haec autem lex rationis in nobis sese manifestat tanquam „imperativa“, ut sensibilitati reluctanti imponatur; et quidem ut imperativus categoricus („Du sollst“), quia lex propter se ipsam, non ad bonum aliquod obtinendum observanda est.

4. Lex vero rationis, si observatur, virtus habetur, et virtuti felicitas tanquam praemium debetur. Unde voluntate nostra virtus, et virtute felicitas producenda est, non vero propter virtutem vel felicitatem agendum est. Virtus ut conditio et felicitas ut conditionatum simul constituunt summum bonum hominis.

5. Ut autem homo legem moralitatis adimpleat, certae veritates necessario *supponuntur*: a) *libertas voluntatis*; nam ut homo „autonomus“ se ipsum determinet, debet esse independens a legibus naturae, a lege causalitatis ex-

ternae; b) *animae immortalitas*, ut homo possit magis magisque exemplari omnis virtutis sese conformare, quod exemplar nonnisi *progressu infinito* attingi potest; c) *existentia Dei*, qui intellectu et voluntate infinita praeditus, aequilibrium inter virtutem et felicitatem, quod in hac vita non invenitur, efficere possit. Hae tamen veritates, licet sint „postulatum rationis practicae“, theoretice probari non possunt, sed fide morali vel rationali sunt tenendae.

II. *Refutatio*: Iudicium de hac theoria pertinet proprie ad philosophiam moralem.¹⁾ Sufficit hic pauca notare: 1) Kant confundit normam moralitatis *subiectivam* (extrinsecam, manifestativam) rationis autonomae (i. e. conscientiae) cum norma *obiectiva*, intrinseca, quae est ordo rerum a Deo constitutus; deinde confundit principium *moralitatis* cum principio *obligationis*; non enim quidquid bonum est, eo ipso obligat; denique *normam* confundit cum *motivis* operandi.

2) Haec sua norma repugnat *conscientiae*, quae testatur, nos non solum *teneri* ad bene agendum vel ad malum fugiendum, sed etiam nos *teneri* non propter legem a nobis profectam, sed *a nobis independentem, cuius auctor, iudex et vindex sit Deus*.

3) Repugnat *naturae nostrae*, quae sibi ipsi et legem imponeret et simul serviret, domina simul et ancilla. Unde nemo ad moraliter vivendum impelli posset neque deberet; esset enim immorale, ex motivo „heteronomo“ agere. Iam vero natura nostra non „autonoma“ est, sed Deo subiecta et ad finem aeternum ordinata, et apud omnes homines viget consuetudo ad virtutem impellendi.

4) Repugnat *tendentiae naturali et necessariae* hominis ad felicitatem obtinendam, quae, ordine morali bene servato, tanquam praemium tribuitur, quod et conscientia et hominum consensus testantur.

5) Est norma *inutilis*, quia non manifestat, *quid sit* illud, quod possit fieri lex universalis, unde aliae iterum normae et criteria sunt quaerenda.

6) Destruit veram moralitatem, cuius motiva praecipua sunt amor Dei vel proximi, quae in hoc systemate non essent moralia.

7) Deinde Kant veram libertatis notionem non habet, quia eam in immunitate ab externa necessitate collocat, non vero in vera interna indifferentia activa ad utrumque oppositum.

8) Supponit etiam, in altera vita continuum usque in infinitum fore progressum in virtute acquirenda.

9) Denique tres illas veritates: libertatem voluntatis, immortalitatem animae, existentiam Dei, nullo modo probari posse affirmat, ac proinde fundamentum rationale et moralitatis destruit et religionis.

Systema iuridicum Kantii.

I. *Expositio*: 1. Leges *civiles* Kant putat mere formales esse, neque respicere nisi libertatem externam; adimplendas esse non propter se, ut fit in lege morali, sed propter coactionem. Unde necessariam esse vim coactivam, et

¹⁾ Cfr. Cathrein, phil. mor.⁴, p. 136; Stöckl, Lehrbuch⁷, III, p. 37 et 90 sq.

homines relicto statu naturali debere sese associari alicui civitati, ut possit suum quisque ius vindicare, i. e. componere suam libertatem cum libertate aliorum secundum legem aliquam.¹⁾

2. Civitas igitur oritur ex consensione aliqua, qua suam quisque libertatem abdicat, ut tota civitas eam recipiat, ita ut sit coetus hominum sub legibus quibusdam. Omnem potestatem et legiferam et iudiciariam in civitate penes populum esse, et iustum fore, quidquid plebs statuerit. Principem non esse nisi executores voluntatis plebis, eum fungi muneribus publicis nomine et mandato plebis, et posse loco suo depelli; populum se ipsum regere per viros ab ipso constitutos (est theoria a Rousseau statuta).

II. *Refutatio*: Patet, obedientiam legibus praestandam mere externam et coactam, quam Kant statuit, esse homine prorsus indignam et potius convenire servis vel sceleratis hominibus, immo bestiis. Deinde civitati quoad iura et officia sua nimis angustus videtur determinare terminos (Nur „Rechtsschutz“). Porro civitas primitus non ex conventionem libera hominum, sed ex natura nostra orta est; neque concedendum est iustum esse, quidquid civitas sancierit. Honori vero principum nimium derogatur, et plebis potestas plus iusto augetur.

*Systema Kantii religiosum.*²⁾

1. *Religionem* Kant putat (in opere: „Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft,“ 1793) nil esse nisi legem moralem, in quantum ad Deum referatur, qui solus felicitatem, summum bonum, nobis conferre possit. ac proinde legem moralem etiam quasi divinam considerari posse. Religio igitur non est fundamentum moralitatis, sed potius eius effectus; est tamen postulatam rationis practicae.

2. Peccatum originale non esse nisi inclinationem naturae nostrae in malum; quae, quum sit inexplicabilis, quasi a malis spiritibus producta concipiatur. Nos in Adamo peccasse significat, nos quotidie cedere inclinationi naturae depravatae; nostram vero redemptionem in eo esse, ut, amore proprio devicto, legem moralem in sua puritate sequamur, i. e. propter se solam. Filium Dei nil significare, nisi ideam humanitatis moraliter perfectae; Filium Dei incarnatum esse significat, illam ideam humanitatis perfectae non solum in mente divina existere, sed etiam in nobis inesse tanquam exemplar vitae honestae. Quod exemplar ut magis nos impellat, a nobis repraesentari tanquam personam, neque referre, utrum eiusmodi persona unquam vixerit, necne; fidem practicam in hanc ideam nos salvare et coram Deo iustificare.

3. Sicut homines, relicto statu naturae, qui est bellum omnium contra omnes (Hobbes), civitatem inierint, ita etiam religionem certis legibus et institutis formatam necessariam esse ad hominum cupiditates coercendas et virtutem colendam; et haec est ecclesia. Unde fides ecclesiae eiusque instituta ex se nullum habent valorem, sed pro tempore ad homines erudiendos et coercendos inserviunt; simulatque homines eo pervenerint, ut legem moralem propter ipsam sequantur, ecclesia inutilis erit atque abolenda.

Non igitur mirum est, quod Kant, eiusmodi tradens doctrinas, a suae ecclesiae theologis Regiomontanis apud regem impietatis sit accusatus, ipsi-

¹⁾ Cfr. Cathrein l. c. p. 200 sq.; Stöckl, l. c. 175 sq., 379 sq.

²⁾ Cfr. Weiss, Kant und das Christentum, Görresgesellschaft, 1904.

que regio decreto (1794) iniunctum sit, ne iam publice de religione disputaret.¹⁾ — Modo hoc extenso totum systema Kantii hoc loco proponendum esse putavi, quia usque hodie est fundamentum philosophiae modernorum et fons rationalismi, qui fidem conatur et Dei ecclesiam destruere.

II. *Systema Fichtei* (1762—1814).

Opera praecipua: Grundlage der gesamten Wissenschaftslehre, 1794; Grundlage des Naturrechts, 1796; Das System der Sittenlehre, 1798; Die Bestimmung des Menschen, 1800.

1. *Fichte*, Kantii discipulus, Jenae, Erlangen, Berolini philosophiae professor, „rem in se“ prorsus incognitam magistri sui reicit (vocat „eine Grille“, „ein Unding“), et Ego quoddam absolutum, infinitum tanquam ens universale constituit, quia illud „Ego“ omni cognitioni subesset tanquam subiectum absolutum. Quare Kant eum stultissimum („tölpelhaften“) vocat suorum discipulorum, Fichte vero magistrum vocat capite quasi diminutum („Dreiviertelskopf“). Hoc „Ego absolutum“ in se nil reale est, sed reale fit positione sua propria per conscientiam absolutam.

2. Illud igitur „Ego“, primum se ponens, in se ipso invenit impedimentum („Schranke“), quod — in se inexplicabile quidem, sed tanquam postulatam admittendum — superari non potest; illudque impedimentum necessario ponit et sibi opponit tanquam Non-Nego (Mundum); unde Ego fit sibi conscius tanquam terminatum, finitum per „Non-ego“, et simul etiam „Non-ego“ tanquam finitum et per „Ego“ terminatum apprehendit, per processum illum dialecticum: thesis—antithesis—synthesis.

3. Apprehensio illius impedimenti, i. e. Non-ego, a quo Ego in positione sui et cognitione dependet, constituit intellectum; positio vero illius Non-ego est libera voluntas. Omnis cognitio est subiectiva, i. e. esse et cognoscere idem est; nos ipsi sumus subiectum qualitatum sensibilium, quas videmus, et licet *concludamus* subiectum subesse, illud proicimus ex nobis et rerum apparentiis substituimus („Was du anschaust, ist ein Herausschauen deiner aus dir selbst“). — Debemus tamen res externas *fide quadam* admittere, quum nobis operandum sit et cum hominibus conversandum.

4. Tota hominis moralitas in eo est, ut illud impedimentum in se superet et tandem ad positionem sui ipsius absolutam perveniat. Haec sui ipsius absoluta positio est ordo moralis, immo ipse Deus. Persuasio, quam habemus, nos ad hanc positionem absolutam perventuros esse, vocatur proprie fides.

III. *Systema Schellingii* (1775—1854).

Opera praecipua: Ideen zu einer Philosophie der Natur, 1797; Von der Weltseele 1798; Erster Entwurf eines Systems der Naturphilosophie, 1799; System des transzendentalen Idealismus, 1800; Bruno, ein Gespräch, 1802.

¹⁾ Cfr. Überweg-Heinze, Grundr. d. Gesch. d. Philos. ³, III, § 17. Paulsen vero, licet difficultates et contradictiones in systemate Kantiano non diffiteatur (Philosophia militans, pag. 31 sq.; Immanuel Kant, 1904⁴, p. 7), Kant vocat philosophum protestantismi; certe immerito, ut patet ex supra dictis de eius interpretatione mysteriorum fidei, quae etiam a protestantibus religioni suae deditis reicitur, e. g. a Flügel, Hoensgen, Lipsius etc.

1. *Schelling*, professor Ienensis, Herbipolensis, Monacensis, Berolinensis, reiciens distinctionem inter Ego et Non-ego a Fichte suppositam, tanquam principium primum absolutam Identitatem subiecti et obiecti, naturae et spiritus constituit, ut posset conformitatem inter subiectum et obiectum in cognitione explicare. Illa identitas transcendentalis in se nil est reale, est pura potentia, quae debet se ipsam ponere ab aeterno; neque probari potest neque cognosci nisi intuitione interna, quia est principium omnis cognitionis.

2. Illa identitas absoluta in se prorsus indifferens, quae est ipse Deus, ab aeterno se dirimit in duas partes non realiter distinctas, et quidem primo in naturam et deinde, sed eodem actu se ipsam resumens, in spiritum, ita ut natura sit spiritus visibilis, et spiritus natura invisibilis.

3. Res mundanae non qualitate, sed quantitate distinguuntur, in Deo vero unum sunt. Homo est perfecta unitas naturae et spiritus, Deus visibilis. Anima non realiter distinguitur a corpore, sed est eius idea; corpus est quasi idea a perfectione sua deficiens. Malum in homine est cupiditas materiae, i. e. naturae („Grundwille“), quae superanda est, ut homo possit iterum transformari in identitatem infinitam et absolutam. Homo re vera non libere agit, sed ex determinatione propria quadam antemundana, quum se *ad esse* determinaverit. — Peccatum originale et redemptio modo rationalistico vel mystico explicantur; Christus non est Deus; homines aliquando reviviscunt iterum corpus assumpturi. — Schelling systema suum saepius mutavit eique ex doctrina Neoplatonicorum et Böhme theosophi multa adiunxit. — Schelling sequebantur vel valde ad eum accedebant: *Steffens, Oken, Schubert, Carus, Krause, v. Baader, Schleiermacher* et alii multi.

IV. Systema Hegelii (1770—1831).

Opera praecipua: Phänomenologie des Geistes, 1807; Wissenschaft der Logik, 1812—1816; Encyklopädie der philosoph. Wissenschaften im Grundriss, 1817; Grundlinien der Philosophie des Rechtes, 1821.

1. *Hegel*, professor philosophiae Ienensis, Heidelbergensis, Berolinensis, Schelling vitio vertit, quod principium suum identitatis absolutae sine ulla ratione posuerit; intellectum, qui nihil intelligeret. Unde ipse aliud statuit principium absolutum sc. conceptum logicum. Universale enim putavit solum esse reale, essenziale; non singulare, quod non esset nisi apparentia. Iam vero universale non esse, nisi in conceptu logico, neque conceptum esse nisi in cogitando; unde esse et cogitare idem esse; conceptum vero esse substantiam universalem, „sanguinem mundi“.

2. Conceptum hunc prorsus vacuum et inanem, quum sit immanens operatio, evolvere in se vitam quandam dialecticam, ponendo in se differentias et determinationes et quidem per modum negationis suae universalitatis; eodem vero actu conceptum tollere et retinere simul in se hanc negationem, novasque iterum simili modo ponere et tollere determinationes categoriarum logicarum, ita ut fiat concretus et tamen simul maneat universalis.

3. Conceptus hoc modo explicatus et concretus vocatur idea, et est Deus ipse: *idea in se* (die Idee in ihrem In-sich-sein). Hic est primus status conceptus logici. Nunc vero haec idea se explicat et dirimit in naturam exteriorem, quae est mundus rerum sensibilium, apparentium, et est secundus status

ideae, *est idea extra se* (die Idee in ihrem Ausser-sich-sein). Per innumeros inde gradus fit transitus ad tertium statum, in quo conceptus iterum ad se revertitur et fit sibi conscius, et *est idea pro se* (Idee in ihrem Für-sich-sein); hic status est natura humana, in qua Deus ipse sibi conscius fit. Unde Deus non est nisi mundus conceptu logico explicatus (Panlogismus).

4. Spiritus humanus est idea in se sibi conscia; corpus est realitas animae et anima est idealitas corporis sine reali distinctione. Spiritus *subiectivus* primum est anima, deinde conscientia, tertio spiritus perfectus, suam cum mundo relationem et unitatem percipiens; *obiectivus* vero, spiritus non individuus, sed universalis, producit ex se alium mundum sc. libertatis, qui apparet in sphaera iuris, moralitatis, societatis; societas (der Staat) igitur, i. e. voluntas universalis, est omnipotens, Deus praesens, cui omnes in omnibus sunt subiecti. Spiritus tandem *absolutus* est in se et per se et quidem intuitione (ars), affectu (religio), cogitatione (philosophia).

5. Nulla est per se differentia inter religionem et philosophiam, quia utriusque obiectum et finis est idem. Omnes species religionis erant stadium aliquod necessarium ideae absolutae; summa est christiana. Deus tanquam conceptus abstractissimus est pater, tanquam natura est filius, tanquam unio utriusque in spiritu absoluto est spiritus sanctus; tres igitur personae in Deo sunt tria momenta vitae divinae.

6. Peccatum originale est discordia cum natura; haec discordia est in se quidem mala, est tamen transitus necessarius ad statum perfectiorem; redemptio consistit in conscientia unionis vel identitatis finiti et infiniti, individi et universalis, quae unio in Christi incarnatione, morte, resurrectione nobis manifestatur. Christus tanquam persona nobis non est superior. Fide vero haec unio cum infinito a nobis apprehenditur, et homo iustificatur sine sacrificio et caeremoniis.

Refutatio horum systematum.

Patet, omnes illas theorias esse reiiciendas; nam 1. affirmant, esse et cogitare idem esse, ac proinde nos creare et efficere omnem veritatem, immo omne obiectum cognitionis. Atqui tunc deberemus etiam omnia cognoscere idque perfecte, neque posset esse homo rudis, neque ullus error; contrarium autem de facto constat. Ergo . . .

2. Conscientia testatur, nos dependere et cognoscendo et volendo ab obiectis, neque ullo modo nos illa producere posse, etiamsi velimus.

3. Destruunt principium contradictionis; nam Fichte affirmat Ego infinitum, absolutum, et simul habens in se impedimentum, quo et Ego et Non-ego limitantur et terminantur. Simili modo Schelling intellectum absolutum, infinitum simul ponit finitum et terminatum tanquam naturam et spiritum; Hegel vero aperte fatetur, se reicere principium contradictionis, quum idea differentias suas in se simul ponat et neget. Atqui hoc principio destructo ruit omnis cognitio. Ergo . . .

4. Destruunt etiam principium causalitatis. Nam ponunt absolutum illud: *Ego purum, identitatem absolutam, conceptum logicum* prorsus vacuum, inane, physice nihil; sed nihilominus affirmant, ipsum se determinare ex se de potentia ad actualitatem, ex abstractione fieri aliquid concretum, ex phy-